

tamen actoris interfit, civilem quaestionem prius expediri, veluti si contra deficientem criminaliter agat de vi, & simul ablatam possessionem sibi restitui postulet, æquitas prælationem civilis quaestionis suadet; eaque agnita est in l. prius 1. Cod. de Appellat. l. si quis 7. Cod. ad l. Jul. de Vi & c.

52 Dico II. Quando causa civilis ab actore proponitur, & criminalis a reo per modum actionis, seu reconventionis objicitur, veluti si Titio, instituenti actionem ex mutuo, reus Sempronius objiciat crimen homicidii, criminalis de homicidio ante civilem de mutuo est discutienda. Textus in cit. l. ult. Cod. de Ord. Judicior. ubi Brunnem. n. 1. & ratio in l. per minorem §. 4. ff. de Judic.

53 Dico III. Quando causa civilis ab actore proponitur, petendò v. g. centum ex instrumentò; criminalis autem a reo per modum exceptionis reponitur, dicendò v. g. instrumentum esse falsum, utraque simul terminanda, nisi criminalis fuerit præjudicialis. Textus in l. cum civilis 3. Cod. d. t. ubi Brunnem. num. 4. & ratio est: quia talis quaestio habetur pro incidenti; indeque tantæ potestatis non censetur.

tur, ut causæ civili præponderare possit arg. l. quoribus 2. Cod. de Judic. & l. ult. Cod. de Ord. cognit.

Dixi: nisi criminalis fuerit præjudicialis. Si 4 enim criminalis quaestio fuerit præjudicialis vel quasi, ita ut totius negotii cardo in illa versetur, v. g. si testes, contra me productos ad probandum debitum, de falso accusent, atque in his testibus probatio debiti unice consistat, Judicio civili tantisper superlegendum erit, quousque de falsitate cognitio fuerit absoluta d. l. cum civilis 3. Cod. de Ord. Judicior. Brunnem. ibid. num. 5. & seqq.

Si causa criminalis cum alia criminali concurrat, fortè quòd reus accusator vicissim aliquod crimen imponat, variè iterum distinctiones à DD. statuantur, quas videre est apud D. Gletle. cit. q. 2. n. 19. Interim regulæ adinstar tenendum, par aut levius crimen referri non posse, antequàm reus de crimine, de quo fuit accusatus, se purgaverit l. neganda 19. Cod. De his qui accus. non poss. cap. neganda 1. & seq. III. q. 11. constitutionibus enim observatur, ut non criminum relatio sed innocentia sua reus purgetur, vox Jcti Ulpiani est in l. si quis 3. in pr. ff. de Publ. Judic.

CAPUT VII.

De Effectu & Contrariis Judicii.

Quemadmodum in tractationibus tum Juridicis tum aliis id, quod primum est in intentione, fit ultimum in executione: ita & nostræ tractationis, de Judicis instituta, primum, quod erat in intentione, fit caput ferè ultimum in executione; videlicet intentus Judiciorum effectus, modo discipiendus. Cumque sub sole nil adeò sit firmum & stabile, quod inverti vel everri non possit per suum contrarium: idcirco effectui Judiciorum ea, quæ contraria sunt, connectentur.

SECTIO I.

De Effectu Judicii.

SUMMARIA.

1. Judicii effectus est finis controversia. 2. Obligationem & potestatem consignat Judicium. 3. Inducit obligationem instantie. 4. Alti tribuit valorem & præsumptionem veritatis. 5. & 6. Inter personas litigantes. 7. Diluatur instantia. 8. & seqq. Ponuntur exceptiones. 12. Probant quoque in alio Judicio. 13. & seqq. Ostenditur. 16. & seqq. Referuntur exceptiones. 21. Judex dupliciter potest incompetens dici. 22. Alia coram eo, qui secundum

quid incompetens est, valent. 23. Qua coram eo, qui simpliciter est incompetens, geruntur, invalida sunt. 24. Nisi errore communi incompetentia nitatur. 25. & seqq. Illaque non proveniat ex Fure Divino. 29. & seqq. Ac ritibus coloratus addat. 34. & seqq. Solvantur objecta. 41. & seqq. Licet occultè resolutus fuerit. 45. & seqq. Contraria dissipantur. 49. & seqq. Corollaria neculantur.

§. I.

Summarie recensentur effectus Judicii.

1. Effectus Judicii sunt sequentes. I. respectu causæ judicialis facit, ut ea, antehac controversa, decidatur; atque adeò litibus

desideratum finem imponit l. Judex 55. ff. de Re Judic. cap. quod consultationem 15. de Sent. & re Judic. II. respectu Judicis producit 2

tum obligationem, ea, quæ sui sunt officii, secundum rationem & normam, in cap. 2. à num. 25. præscriptam, agendi tum potestatem. litigantibus imperandi, eosque, si refractarios se se gesserint, compescendi arg. tit. ff. Si quis 3. Jus dicitur & c. III. respectu actoris & rei inducit obligationem, tam instantiam servandi, atque à Judicio, alterà parte invità, non di-

scendendi per l. licet 3. §. 11. ff. de Pecul. quàm iusta, decreta, & sententiæ judiciales exequendi. IV. respectu totius processus, in Judicio inflicti, tributis actis præsumptionem veritatis, ac plenissimum valorem l. ingenuum 25. ff. de S. H. l. si contra in pr. 3. ff. de Agnoscent. lib. l. res judicata 207. ff. de R. l.

§. II.

Inter quas personas acta Judicialia suam vim habeant?

5. Regulam hic statuamus, necesse est, acta Judicialia solum illis, inter quos acta sunt, non etiam aliis nocere. Ita rubrica Cod. inter alios acta vel judicata aliis non nocere; eique ad amissum conveniunt tres Leges, in nigro posita: conveniunt quoque l. si neque 1. & LL. seqq. Cod. Quibus res judicata non nocet: conveniunt denique & SS. Canones in cap. quavis 25. de Sent. & re Judic.

6. Ratio est partim: quia conventiones non afficiunt personas alias, quàm pacificentes: illi autem, qui secum invicem in Judicio litigant, secum invicem quasi conveniunt, de servandis & rathabendis actis judicialibus per d. l. licet 3. §. 11. ff. de Pecul. partim quia naturale dictat lumen, alteri per alterum iniquam inferri conditionem non debere cap. non debet 22. de R. l. in 6. l. non debet 7. 4. ff. eod.

7. Nec obstat, quòd ex num. 4. acta judicialia præsumptionem veritatis habeant: ea siquidem præsumptio ultra colligentes non extenditur, utpote respectu quorum solummodo verificantur illa axiomata: propria confessio, optima probatio l. confessus 1. ff. & l. un. Cod. de Confess. & indignum est, quòd suà quisque voce confessus est, id postmodum, voluntate mutata, revocare velle l. generaliter 13. in f. Cod. de N. N. P.

8. Patitur tamè adducta regula suas exceptiones. Prima est: quando is, quæ causa principaliter concernit, alterum agere permittit in Judicio; puta, si emptor, ex cuius bonis res emptæ evincitur, venditor agere finat: tunc enim, quæ cum venditore sunt acta, emptorem quoque constringunt, d. cap. quavis 25. de Sent. & re Judic. extritissimo illo: qui tacet, consentire videtur.

9. Secunda est: quando is, qui causam ab altero habet, illum agere permittit, ut si creditor ratione rei sibi oppignoratæ debitorem citra protestationem agere permittat: illi namque omnia, quæ cum debitore sunt acta, ex eadem ratione præjudicant per textum in d. c. quavis.

10. Tertia est: quando agitur de plurium interesse, illique, quorum interest, legitimè citari non comparuerunt: videntur enim, & isti ratum gratumque habere, quod ab aliis, interesse habentibus, est gestum arg. cit. cap. quavis & c. Quin & respectu aliorum acta talia vim præsumptionis habent arg. cap. significasti 5. de Adulter. Abbas in cap. causam qua 11. de Test. num. 4. Pirhing ad tit. de Sentent. & re Judic. num. 83. Wiestner ib. n. 92. Reiffensuel ad tit. de Judic. n. 188.

§. III.

Utrum acta unius Judicii etiam in alio Judicio probent?

12. Hæc regula affirmativè concipienda est. I. Textus est l. in cap. multi 18. II. q. 1. ubi D. Augustinus neminem vult à communione fidelium repelli, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo, sive Seculari sive Ecclesiastico Judicio, nominatim atque convictum. II. in cap. causam 11. de Testib. ubi Alexander III. mandat, ut, susceptis attestacionibus utriusque partis, quæ ab aliis Judiciis sunt receptæ, causa terminetur. 14. III. in cap. cum quidam 2. de Except. in 6. ubi Bonifacius VIII. districtè præcipit, ut exceptio rei in alterutro, Seculari vel Ecclesiastico, foro judicatur, in utroque attendatur. Ratio est: quia ratio præsumptionis, ob quam actis judicialibus plenissima constat fides, in quolibet foro procedit: quæve partibus intra vel extra Judicium semel est parta exceptio, illis semper & ubique proficit arg. l. si duo 13. §. 1. ff. de Furejur.

16. Hæc ipsa tamen regula non caret exceptio-

ne. Sicut enim l. recepta est doctrina Panormitani in cit. cap. causam n. 5. acta probatoria in Judicio Civili non habere vim in Judicio Criminali, propterea, quòd in hoc quàm illo Judicio liquidiore probationes exigantur, per l. ult. Cod. de Probat. Sed cum grano falis eandem doctrinam recipiendam suadeo, quando nimirum sententia in civilibus erat pronuntiata ex probationibus non adeò conclusentibus, v. g. ex præsumptionibus non-violentis, juramento judiciali, necessario vel voluntario: tunc quippe acta probatoria, in processu civili ad sententiam ferendam idonea, non sufficient quidem ferendæ sententiæ criminali, sufficient tamen suscipiendæ torturæ. Quòd si sententia in causa civili lata fuerit ex probationibus, ad ferendam quoque sententiam in criminalibus idoneis, v. g. ex depositione duorum vel trium testium, omni exceptione majorum, nulla profecto

fectio ratio impedit, quod minus ex ejusmodi allegationibus ad sententiam in criminalibus deveniri possit.

- 19 II. actis in Judicio summario non constare valorem in Judicio ordinario, ex cap. veniens 38. de testibus inferunt Panormitan. in cap. causam d. 1. n. 6. Felinus in d. cap. veniens num. 19. Pirhing ad tit. de Judic. num. 66. Gall. 1. observ. 103. n. 3. Rationem dant: quia varia-

tur modus agendi, dum summarii Judicii probationes nec adeo exacte sunt, nec post litem contestatam recipiuntur Clement. sepe x. nos autem c. de V. S.

Excipiunt autem ab hac ipia exceptione casum contrarium, quod videlicet probationes post litem contestatam legitime, sicut in Judicio ordinario, receptae sunt; cessat enim tunc ratio prioris exceptionis.

§. IV.

Habeantne eandem vim acta coram Judice incompetente?

- 21 **J**udex dupliciter potest incompetens esse, absolute & secundum quid. Absolute incompetens dicitur, cujus Jurisdictio prorogari non potest, forte quod Jurisdictionem alterius generis & ordinis habeat; qualem magis incapax, quam incompetentem nuncupari posse, insinuat in cap. 6. n. 16. & seq. Secundum quid incompetens dicitur, cujus Jurisdictio prorogari potest, eod quod ejusdem generis & ordinis sit cum causis & personis prorogabilibus.

- 22 Acta coram Judice absolute incompetenti sunt penitus invalida per textum manifestum in cap. est Clerici 4. de Judiciis. Acta vero coram Judice secundum quid incompetenti sunt valida arg. l. qui non 22. ff. de Judic. l. nemo 4. Cod. de Jurisdic. l. cum Papinianus 14. Cod. de Sentent.

- Ratio diverfitatis est: quia Judex, secundum quid incompetens, competens evadit, si modo partes in ipsum expressè vel tacite consenserint secundum explicata in Lib. I. tract. de Jurisdic. cap. 6. n. 113. & seq. Aliter atque Judex absolute incompetens, utpote quod neque expressè neque tacitus partium consensus competentem efficere potest d. cap. 6. n. 116. & seq.

- 24 Quid autem, si Judex absolute incompetens (idem est de alio, qui planè Judex non est) reputetur esse competens: anne gesta ab eorum tali Judice quidquam valoris habeant? Hic recurrendum ad l. Barbarius 7. ff. de Offic. Prætor. ubi refertur, quod Barbarius Philippus, cum servus fugitivus esset (adeoque incapax muneris Judicialis) Romæ Prætorum petierit, & Prætor designatus sit. Questum erat: an, qua edixit, qua decrevit Barbarius, quàmvis latius in dignitate Prætoris, nullius sint momenti; an alicujus? Responsum est: nihil eorum, quæ gesserat, reprobari, ex gemina ratione: & quia id humanius est; & quia potuit Populus Romanus servum decernere hanc potestatem; sed & si scisset, liberum effecisset. Cui responso succinunt textus in cap. infamis 1. §. verumtamen III. q. 7. cap. ad probandum 24. in §. publice innotatus de Sentent. & re judic. Quia tamen in proposita questione plura sunt dubia recondita, idè magis in particulari respondeo, &

- 25 Dico I. Quando incapax Judicis putati fundatur in Jure Divino vel Naturali, gesta ab ipso non valent. Ita cum Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 24. n. 27. & sententia quasi-

dogmatica concludunt Eminentiss. Sfondrati in disp. de Lege in præsumpt. fund. pars. 1. §. 4. sub num. 3. notand. 7. Haunold. tom. 5. tract. 2. num. 20. D. Gletle 1. p. pandect. q. 14. num. 2. Ratio est. Lex Barbarius est Lex humana. Ergo non potest prævalere contra Legem Divinam & Naturalem. Ergo non potest facere, ut acta valeant, si Judex agere non poterit, impedimentò Naturali vel Divino ligatus.

Nec putes, similem defectum à DEO, ob 27 bonum publicum, suppleri. Nam, ut solide arguitur Sfondrati, non habemus de hoc textum unicum in S. Scriptura, sed usus & praxis Ecclesiæ potius contrarium offendit. Nec propterea Lex Divina est inclementior humana: vel enim DEUS vult defectum occultum supplere, vel non vult? Si vult, non desunt illi mille & infiniti modi, id præstandi: si non vult, frustra de voluntate disputamus. Parem discursum invenies in Lib. I. tract. de Jure Leg. cap. 3. n. 71.

Inferes ex hac conclusione: infidelem, aut 28 fœminam (quod DEUS avertat) in Pontificem electam; expertem literarum, in Prælatum Ecclesiæ assumptum; amentem, in Judicem destinatum &c. quidquid agunt, in casum agere: laborant siquidem impedimentò, quod removere vel supplere, non est positum in humana potestate.

Dico II. Quando incapax Judicis fundatur 29 in Jure positivo duntaxat, gesta à tali Judice valent, si accedat communis error, & simul titulus coloratus. Conclusio est bimembris, ac quoad primum indubitata, & clarè decisa in textibus, ante citatis, in quibus in sermo, ad Prætorum evectò, requiritur, ut fuerit habitus pro libero in §. quàmvis latius; nec qualitercunque, sed communiter, seu à communitate, vel saltem à majori communitatis parte: hinc vulgò dicitur, quod communis (non particularis) error jus faciat arg. l. quod non ratione 39. ff. de L. l.

Quoad secundum membrum valde controversa est conclusio. Nam titulum coloratum (quò nomine designatur legitima concessio, quæ, licet in speciem valida credetur, ob latens impedimentum reipsa fuit invalida) non requirunt laudatus Card. cit. n. 3. notand. 5. Abbas in Clement. dudum 2. de sepultur. n. 25. Felinus in cap. si scripturam 1. de fide instrum. Gobat Theol. experiment. 17. n. 108. P. Wiesner ad tit. de Judic. n. 87. Re 31

quiritur

quiritur e contra tituli idem Abbas in cap. nihil 44. de Elect. n. 11. (cujus auctoritas hoc in loco tantò magis æstimanda, quòd ibidem præsentem articulum ex instituto discutiat) Innocentius, & Joannes Andreas ibid. Covarruv. præf. qq. cap. 19. n. 9. Card. de Lugo apud & cum Haunold d. tr. n. 24. P. Pirhing ad tit. de Judic. n. 84. Gletle d. q. 8. n. 8. Reiffensuel 32 ad tit. cit. n. 199. & seq.

Ratio posterioris & nostræ sententiæ est I. quia in textibus, supra recitatis, præsertim in l. Barbarius pro valore gestorum allegatur titulus coloratus: ibi: Prætor designatus est; & cum etiam potuit Populus Romanus servum decernere hanc potestatem. Ergo, si titulus coloratus desit, non 33 poterunt acta subsistere. II. quia bono publico, cujus intuitu errorem communem suffulciunt jura, non expedit, sine titulo colorato acta Judicis incapax valere: sic enim, nescio, quæ absurda evenirent, ac quilibet detritæ frontis homo posset sibi literas confingere, Legatum Pontificis vel alterius Principis se se factare, ac ea, quæ talibus Legatis sunt propria, facere. Sic etiam Principes Catholicici, qui in nostro Imperio Jurisdictionem Ecclesiasticam & Episcopalem sibi arrogant, ac pro talibus errore suorum subditorum reputantur, validè procederent; sicut nostri & veri Episcopi, quemcunque Jurisdictionis Episcopalis actum in ferendis Legibus, dissolvendis matrimoniis, indulgendis dispensationibus &c. exererent.

34 Non ergo objicere possis: cit. l. Barbarius in utilitate communi se fundare, ac dicere, quòd multa evenirent incommoda, multæ confessiones & absolutiones redderentur invalidæ, multæ sententiæ evaderent nullæ, si communis error, absque titulo colorato, non sustineret acta. Nam incommoda hæc leviora & minorata sunt illis, quæ sequerentur, si solus error sufficeret: utpote cum facilius sit modus, absque titulo colorato se fingendi & mentiendi personam publicam, quam cum titulo; nec major tantum mentiendi, sed & totam Rempublicam perturbandi occasio.

35 Si infes: testamentum valere, cui testis, occultè inhabilitate innotatus, communi tamen errore creditus habilis, interfuit, l. testes 1. Cod. de Testam. etsi non testator, sed solus Princeps inhabilitatem possit tollere.

Resp. testamentum esse negotium privatum, actale, cui, tanquam actui permisso, testes omnes interesse possunt, nisi, qui prohibiti sunt: illi vero, qui defectum habent, sed occultum, non sunt prohibiti. Ergo &c.

36 Si urgeas: etiam in negotiis publicis, qualia sunt acta judicialia, omnes admitti, qui publicum defectum non patiuntur.

Resp. in primis, non omnia negotia privata, ab inhabili occulto celebrata, valere: novimus enim ex cap. 2. d. n. 405. gesta per falsum procuratorem juxta l. licet 24. Cod. de Procurator. non subsistere, etsi pro habili communitè à Judice & aliis personis Judicialibus 37 assumetur. Deinde ad signum disparitatem:

non enim sufficit ad officium publicum gerendum, quòd absit defectus publicus, sed insuper exposcitur, ut legitima auctoritate conferatur, atque adeò titulus coloratus concurrat, quòd deficiente, sive capacitas adsit, sive absit, inutiliter aguntur, quæ sunt in officio publico. Ergo, licet negotia privata, quandoque valeant, tamen defectus occultus & incognitus interveniat sine titulo, non tamen negotia publica valent, in quibus, ut dixi, præcedere debet legitima concessio & constitutio Superioris.

Si litem instantes, ac, quòd ipsa Jurisdictio: 8 secundum nostram placita in Lib. I. tr. de Jurisdic. cap. 6. n. 23. & 29. non semper legitima concessione, sed etiam consuetudine & præscriptione possit acquiri, regeas.

Resp. præscriptionem unà cum bona fide titulo plerumque indigere ex cit. tract. cap. 1. num. 199. & seq. consuetudinem verò tacitò Legislatoris consensu roborari.

Si denuò vires colligas, ac opponas Nov. 44 39 cap. 1. §. fin. ubi sustentur acta & instrumenta omnium eorum, qui à Notario seu Tabellione fuere substituti; tamen Notario juxta cit. textum facultas competat, unum duntaxat, non plures, substituendi.

Resp. substitutos à Notario seu Tabellione, licet plures sint, titulo colorato potiri: nam eò ipsò, quòd unus saltem in officio substituitur, nec ab omnibus dignoscitur, quisnam ex illis sit primus aut legitimus: omnibus titulus coloratus, seu collatio officii, in speciem valida, suffragatur.

Deduces ex assertis: ea, quæ à Prælo, 40 absque prævia electione administrationi se intrudente; vel à Parocho, absque collatione vel approbatione Episcopi, pastorale munus exercent, sunt, ob defectum tituli prorsus invalida censi, tamen communi errore ille pro Prælo, & iste pro Parocho legitime habeantur.

Dico III. Quando concurrat communis error 41 & titulus coloratus, acta à Judice incapaci valent, etsi titulus occultè resolutus fuerit.

Ita cum Sanchez cit. l. n. 56. & seq. tenent Lessius de F. & F. cap. 29. dub. 8. n. 67. Gletle d. q. 14. n. 7. & à fortiori Authores, nobis in secunda conclusione oppositi.

Ratio 42 deducitur I. ex Nov. 44. cap. 1. §. ult. ubi dicitur, instrumentis, à tabellione confectis, robur inesse, tamen ob delictum tabellionis sum amiserit officium; quæ decisio non aliud habet fundamentum, nisi quòd ejusmodi tabellioni suffragetur communis error & titulus coloratus, occultè licet resolutus. II. 43 ex eo: quia, si titulus occultè sit resolutus, manet Judex in coloratà quasi-possessione tituli & officii: adeoque, sicut cæteri actus, quos gerit possessor, sunt validi, sic etiam actus Judicis, qui manet in quasi-possessione sui officii.

III. quia titulus, occultè resolutus, adhuc in speciem est validus. Cùm ergo valeant acta, quæ sunt à Judice, titulum coloratum habente; valebunt & illa, quæ sunt

N 3 sunt

fiunt à Judice, titulum in speciem validum habente: ne forte plebs innocens ex facto ipsius Principis, Judicem inhabilem de facto saltem tolerantis, graviter decipiatur.

45 Obstat videtur I. cap. *Andum* §. 4. de *Elect.* ubi S. Pontifex factis liquidè reprobata acta cujusdam Archidiaconi, qui, post adeptum Archidiaconatum, plura beneficia parochialia, quibus juxta Concilium Lateranense ipsò jure exciderat, retinere, & curam exercere

46 præsumperat. Verùm in casu d. cap. resolutio tituli non occulta, sed publica extabat: notorium liquidem erat, quòd ille Archidiaconus plura beneficia curata in simul possederit; cum tamen ex Concil. Lateranensi, prælatò in cap. de multa 28. de *Præbend.* non minus notorium sit, eos, qui secundum beneficium curatum assequuntur, primò, quòd habuerant, curatò sint ipsò jure privati; & secundò etiam, si primum retinere attentaverint, privandi.

47 Obstat videtur II. quòd, juxta conclusionem secundam, valore destituantur acta ab illo, qui titulò coloratò nunquam munitus erat: adeòque eadem ratione & acta ab illo careant valore, qui titulum habuit ab initio,

sed postea amittit. Sed disparitas inter-

48 utramque facti speciem jam insinuatã fuit. Si enim quis titulum nunquam habuerit, nec proprietate, nec possessione munitur: qui verò titulum semel habitum amittit, proprietatem duntaxat amittit, servatã adhuc possessione, saltem in speciem validã. Ergo non prima, sed secunda acta valent: quippe quibus auctoritas publica, quæ tolerat inhabilem in officio, suffragatur. Paulò aliter responderet D. Gletle d. l. n. 9. *object.* 2.

Colliges hinc I. gesta à Judice Delegato, 49 cujus Jurisdictio per mortem Delegantis, re adhuc integrã, expiraverat, valere, si mors Delegantis communiiter ignorata fuerit. Manet siquidem, unã cum errore communi, adhuc quasi-possessio tituli, seu concessiois ac delegationis legitima, in speciem validã; sicque auctoritas publica robur gestis conciliat.

Colliges II. similiter gesta à Judice Dele- 50 gato valere, si revocatus fuerit à Delegante, sed revocatio necdum publicè innotuerit. Nam & illò casu persistit etiamnum colorata quasi-possessio tituli, in speciem validã.

SECTIO II.

De Contrariis Judicii.

SUMMARI A.

51. *Judicium cessat mutua voluntate.* 52. *Sententia definitiva.* 53. *Abolutio ab instantia.* 54. & seq. *Lapsus temporis.* 55. *Praxis contraria notatur.* 57. *Actus admittit valor in incompetentiam absolutam.* 58. *Per inhabili-*

tatem litigantium. 59. *Per defectum ordinis & solemnitatum.* 60. & seq. *Acta judicialia secundum se valent, non autem partes & ordinatio Judicii, quando reus absolvitur ab instantia.*

§. I.

Ex quibus causis Judicium omninò cessat?

51 **C**ontraria Judicii sunt, quæ vel ipsa Judicia cessare faciunt, vel actis tantum judicialibus vim adimunt. Cessare Judicia facit I. mutua voluntas partium, utpote quibus liberum est, quoties & quando voluerint, à foro contentioso recedere, ac spontaneã transactione causam decidere. *arg. tit. X. ff. & Cod. de Transact.*

52 **C**od. de *Transact.* II. definitivã sententiã Judicis: posteaquam enim sententiã Judicis causã controversã fuit decisa, finitur instantia, nec auditur regulariter pars victa, nisi, antequam sententia transiverit in rem judicatam, appellentem interposuerit. *cap. quod ad consultationem 15. de Sent. & re jud. l. Index 55. ff. de Re judic.*

53 **C**od. de *Re judic.* III. absolutio ab instantia, per sententiam interlocutoriam facta, quæ reus absolvitur, quòd minus in causã, ad quam citatus erat, teneatur respondere, fortè quòd actor sit contumax, aut libellus ineptè formatus *cap. examinata 15. de Judic.*

54 **C**od. de *Re judic.* IV. lapsus temporis: nam causã crimina-

les intra biennium, causã civiles autem, exceptis fiscalibus & tributorijs, intra triennium discipandæ sunt, computatione à die litis contestatæ initã juxta *l. properandum 13. in pr. Cod. de Judic. & l. ult. Cod. Ut intra certum tempus crim. quæst. termin.* & ibi Brunnem.

Nec de Jure Civili tantum, sed etiam de 55 Jure Canonico, quòd nullibi reperitur ab illo recessisse, nisi, ut aliqui malè somniant in *cap. penult. de Judic.* ex quo tamen potius concordat cum Jure Civili eruitur, utpote cum S. Pontifex permittat causam post triennium à Judice Delegato cognosci, quia ad usque tempus illud per *subterfugia & cavillationes* reorum erat protracta; bonò argumentò, extra hunc casum exceptum, regulã Civili standum esse. Magnif. D. P. König ad *tit. de Judic. num. ult. Zoëf. ibid. n. 13.*

Sed doleas, tam salu- 56 bres constitutiones hodie negligi, plurèsque lites non tantum ultra tres annos differri, sed planè immortales evadere.

§. II.

§. II.

Ex quibus causis Judicialibus actis valor adimitur?

57 **A**ctis Judicialibus valor adimitur I. ex persona Judicis, si incompetens sit absolute per ea, quæ scripsimus in *num. 22. & 58. seqq.*

II. ex persona litigantium, si stare nequeant in Judicio, vel nomine proprio, quòd Legales non sint, de quibus in *cap. 2. à num. 110.* vel nomine procuratoris, quòd mandat non habeant, de quibus in *d. cap. 592. n. 405. & plur. seqq.*

III. ex defectu solemnitatum, aut ordinis judicialis non servati *arg. cap. Ecclesia 10. in fin. de Constitut. cap. examinata 15. de Judic. cap. un. de Litis contest. cap. veritatis 8. §. nos igitur & c. de Dolò & contumacia. cap. si de calumniã 1. in pr. de Jurament. calum. in 6. Clem. cap. 2. de P. S. §. ult. Inst. de Paen. temere litigant. l. nequiquam 9. §. 1. ff. de Offic. num. 94. & seq.*

Proconf. l. prolatam 4. Cod. de Sentent. & interlocu. Revolve tamen notata in cap. 1. à n. 77.

Quæres: an, si reus v. g. juxta *num. 53. fue. 60* sit absolutus ab instantia, acta procedentia pro nullis habeantur?

Resp. negativè. Tametsi enim ex *tit. n. 53.* ipsum Judicium reddatur nullum quoad partes & ordinationem suam, ac postmodò de novo inchoari, novus offerri libellus, novã litis contestatio &c. fieri debeat; attamen acta judicialia, puta examen, depositiones testium &c. non efficiuntur nulla: utpote cum denominationem & virtutem accipiant ab auctoritate Judicis. Felinus in *Clem. sapo 2. de P. S. num. 27. P. W. Iestner ad tit. de Judic. num. 94. & seq.*

CAPUT VIII.

De Arbitrio, seu Affini Judicio.

Affine Judicio est Arbitrium: nam, si Jcto Paulo in *l. compromissum 1. ff. de Receptis qui Arbitrium receperunt, ut sententiam dicant, fidem tribuamus, compromissum (seu Arbitrium) ad similitudinem Judiciorum redigitur: & ad finendas lites pertinet. Rem itaque non inutilem præstitam iri, credebam, si affinis adeò & contermina Judicio materia, coronidis locò, præsentì tractatui connectatur.*

SECTIO I.

De Natura, Divisione, & Constitutione Arbitrii.

SUMMARI A.

1. & 2. *Etymologia Arbitrii.* 3. & seqq. *Homonymia.* 7. *Synonymia.* 8. & seqq. *Definitio.* 12. *Aliud generale, aliud speciale.* 13. *Præius non includit lites futuras.* 14. *Aliud Arbitrium dicitur in specie reale; aliud vocatur Arbitrium*

arbitrium. 15. *Quod in sano sensu accipiendum.* 16. *Constitutur variè.* 17. *Passò vel stipulatione.* 18. & seq. *Adjectione panno.* 19. *Et juramenti; quod quidem Jure Civili novè non valet; sed 20. Jure Canonico.*

§. I.

De Nomine Arbitrii.

1 **A**rbitrium suam Etymologiam, ut notat Miller ad *Struv. exercit. 8. ib. 95.* ab eundo dedit, quòd scilicet ad binos litigantes tertius accedat, dictus quasi *adhiber* à præpositione ad & verbo antiquò *bitio*, seu, ut modo euphonia gratiã pronuntiamus, *arbitr*.

2 **I**t verò ex Festo Pompeio advertit Gonzalez in *notis ad cap. sane 1. de Arbitris num. 7.* Arbitrium ab arbitrando derivatum est: quia, qui illud suscipit, omnia arbitratur, & totius rei facultatem ac arbitrium habet.

3 **H**abet in Jure sat multas significaciones. I. enim Arbitrium idem est ac moderatio, di-

spositio, & administratio rei per *l. in re mandata 21. Cod. Mand.* II. Arbitrium idem significat, quòd libera voluntas *l. habeat 1. Cod. de SS. Eccles.* III. Arbitrium denotat quamcumque rei considerationem & æstimationem *l. quis tam 52. Cod. de Decurion.* IV. & hic accipitur pro legitima ac juxta æquum & bonum causã alicujus controversiã factã discussione.

4 **Q**uæ ipsa acceptio rursus vel lata, vel stricta, vel strictissima est. Lata est, quando ipsummet Judicium, hucusque consideratum, Arbitrium nominatur, maxime si actio arbitri-